Ad

Excellentifsimum Archiepiscopum Varsaviensem
Primatem Regni Poloniae
STEPHANUM HOŁOWCZYC

1820

Haud me futuri provida, præsciis
Exemit ætas vatibus. Et mihi
Ventura tangenti, secundis
Alitibus dedit Hora nasci

Mentemque pleno finxit Apolline.
I nunc & olim veridicos Tui,
HOŁOWCZYC accusa furores
Vatis, & explicitos Honorum

Non pejerantis more Póétriæ
Secuta per præsagia Tibiæ
Refelle sensus. O! lucrosæ
Meta spei! pretiumque curæ

Ingens & olim prospicientibus
Decreta Fatis, bis merito venit
Merces labori! fortiore
Sæpe mihi recinenda plectro.

Nec umbra Soli, nec Meritis comes
Absistit usquam Gloria! quam Tibi
Præsagus Amphion, & ipsi
Augurio cecinere Delphi.

Ille & vetustæ sæcula Græciæ,
Fastos Latini gestat & Imperî,
Cautusque victuras Minervæ
Condit opes, animique doctum

Orditur ævum; quod neque livida
Obliviorum diminuat dies;
Olim nec instantem citata
Acceleret cariem senectus.

Illi & patenti Relligiosior
Cultus theatro panditur. Hinc Themis
Hinc Phœbus, hinc Pallas Clientem
Et studiis monituque stipant.

Arguta sensit Curia Tullium
Et literatæ pondere dexteræ
Sancita firmantem Senatûs
Attoniti stupuere postes.

Te Regiarum conscie! mentium
Partem laborum sollicito Jovi
Curasque detraxifse gnarum
Varsaviæ sonat axis Aulæ.

Cælo minantes decutit invidum
Tempus colofsos; imminet urbibus,
Celsasque demolitur arces,
Et solidos adamante postes

Excindit ætas. In mediis Honor
Quæsitus Aris durat! & improbo
Divæ lacefsitus duello
Stat, pelago velut icta cautes.